ambulante domino. ut dum pergit ad aliam alia curaretur. Unde dicunt et apostoli. Vobiſ quidem oportebat predicari uerbum. ſed quoniam indignos uos iudicatis ſaluti transgredimur ad gentes. Dicebat enim intra ſe. Si tetigero tantum uestimentum eius salua ero. Accedit et dominum tangit eccleſia. que per fidei ueritatem adpropinquat. Accedit autem retro. ſiue iuxta id quod ipſe ait. Si quis michi miniſtrat me ſequatur. et alibi precipit. Post dominum deum tuum ambulabis. ſiue quia preſentem in carne dominum non uidens. peractis temporis diſpenſationis ſacramentis eius iam per fidem cepit ueſtigia ſubſequi. Tangit autem fimbriam ueſtimenti. et undam reſtringit ſanguinis. quia beatus et uere mundandus qui uel extremam uerbi partem. fidei manu contigerit. Nam rarus ualde qui eius uel in pectore recumbere. [ue]l capud mereatur piſtica nardo pungere. Cum et ille magnus fuerit. qui ſe indignum dicebat eius calciamenta portare. Magna et illa que ungere pedes eius. et capillis ſuis tergere promeruit. At Iheſus conuerſus. et uidens eam dixit. Confide filia fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier. ex illa hora. Ideo quia fides tua te ſaluam fecit. Nec dixit fides tua te ſaluam factura eſt. ſed ſaluam fecit. In eo quod in me credidiſti. iam ſalua facta es. [illegible]

[illegible]

Fratres. Corde enim creditur ad iuſticiam. Ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Qui uere et non falſo confitetur ore dominum Iheſum. et corde credit pariter et ore confitetur. debet ſubiectus eſſe ſapientie et iuſticie et ueritati et omnibus que Chriſtus eſt nec ſibi ultra dominari permittat mammona id eſt neque auariciam ſibi ultra neque iniuſticiam. neque impudiciciam. neque mendacium dominari. Semel enim Iheſum Chriſtum dominum confeſſa anima. nulli horum. debet ſeruire. Dicit enim ſcriptura. Omnis qui credit in illum non confundetur. Hoc autem apud Yſaiam ſcriptum eſt. Quod ſi omnis qui credit in eum non confundetur. confundetur autem omnis peccator qui. Sicut et Adam peccauit et erubuit. et abſcondit ſe. Qui adhuc rubore peccati incurritur. credere non uidetur. Non enim eſt diſtinctio iudei et greci. Nulla inquit diſtinctio eſt inter iudeos et grecos. cum conſtet ex equo omnes prius ſub peccato fuiſſe. et omnes qui modo credunt per fidem Iheſu Chriſti ſaluatos eſſe. Nam iuſticia dei per Chriſtum ad omnes ueniens qui credunt ſiue iudei ſint ſiue gentiles. purgatos eos a prioribus ſceleribus iuſtificat. et capaces fecit glorie dei. Lectio ſecunda

Nam idem dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen domini. ſaluus erit. Si iuſticia nobis et ueritas et ſapientia et ſanctificatio

In natale s. andree. lc. ad romanos.